

regelmässigkeit besonders stark und allgemein. Auf der Kante selbst sind die Linien fast verloschen, um auf der oberen Hälfte der Area der linken Schale wieder regelmässig aufzutreten; auf der unteren Hälfte der letzteren, sowie auf der ganzen Area der rechten Schale sind sie dagegen nur sehr schwach und kaum erkennbar.

---

## Mollusca nova Musei Godeffroy Hamburgensis

· descripta

a

Guilielmo Dunker.

### 1. *Melaraphe* (*Litt.*) *Blanfordi* Dkr.

Testa ovato-conica, ventrosa, tenuis, transversim multicostrata, albida vel flava lineis interruptis fuscis transversis flammulata vel undulata, anfractibus quinis vel senis convexis, sutura distincta sejunctis, ultimo spira multo majore instructa; apertura ovata; columella livida excavata. — Hab. Rockhampton.

Testa circa 12 mill. alta, 8 lata ratione habitae picturae et sculpturae Littorinae intermediae Phil. similis est, quae vero habitu valde differt. Nostra species costis planis confertis in anfractu ultimo 20—22 cingitur, in penultimo 9—10 tantum cerni possunt. Costae illae varii coloris plerumque fusco punctatae vel interrupte strigatae picturam efficiunt undulatam, flammulatam vel irregulariter tessellatam.

### 2. *Litorina* (*Melaraphe*) *Vitensis* Dkr.

Testa ovato-acuta, transversim obsoleteque striata, cinereofusca, maculis pallidioribus irregularibus aspersa, anfractibus quinis vel senis convexis subito crescentibus instructa, ultimo spira duplo longiore; columella fusca paullo excavata; apertura ovato-rotundata; fauces atro-fuscae, fascia alba basali signatae. Operculum tenue ut in genere solet, atro-corneum,

late spiratum. — Alt. speciminum majorum 10, diam. max. 7 mill. — Hab. ad insulas Vitenses.

Litorinae punctatae (Turbini) Gmel. affinis, sed colore, spira graciliore, sutura profundiore et statura minore satis differt.

3. *Amalthea rugulosa* Dkr.

Testa parva, solidula, alta, subconica, plus minusve pileiformis, plicis rugisque irregularibus insignis; vertex resupinatus; color fuscus albo variegatus. —

Habitat ad insulas Samoenses.

4. *Calyptra (Calyptraea) rugulosa* Dkr.

Testa parva, solida, suborbicularis, oblique conoidea, alba, longitrorsum rugoso-costata tenuiterque striata; vertex porrectus pronus, supra marginem inclinatus, ossiculum seu lamella interna perobliqua. — Hab. ad insulam Swains e coralliis ortam.

Testa solida, tota alba, vix 8 mill. lata, 5 alta, costis rugosis crassis irregularibus ex parte dichotomis et trichotomis striisque subtilibus confertis ab apice decurrentibus instructa est.

Striae incrementi transversae et costae irregulares testam rugosam reddunt. Margo subcrenatus, ovato-rotundus omnino non incumbit. Forma singularis cum aliis hujus generis speciebus commutari nequit.

5. *Sigaretus australis* Dkr.

Testa solidula, lactea, paullo pellucens, convexa, ovato-subelliptica, lineis subtilibus impressis undulatis spiralibus striisque incrementi tenerrimis lineas spirales decussantibus minutissime cancellata vel reticulata, epidermide cornea tenui et decidua vestita, anfractibus convexis 4, ultimo infra suturam concavo instructa; apex obtusus hyalinus; labrum superne sinuatum. — Latit. 23, alt. 9 mill. — Hab. in portu Mackay.

Nullam novimus speciem cum nostra convenientem. S. maculato Say vel Martiniano Phil. ambitu aliquo modo re-

spondet, sed testa tenuiore, convexiore, sculptura subtiliore, sinu marginali et colore lacteo differt.

6. *Turritella (Torcula) subsquamosa* Dkr.

Testa gracilis, acute subulata, luteo-albida, pellucens, anfractibus sedecim modice crescentibus, superioribus laevigatis, sequentibus costulis 7—8 spiralibus obsoletis instructa striisque incrementi imbricatis costulas decussantibus subcancellata; basis plana vel potius plano-convexa subtiliter lirata, costa ultima prominente distincte carinata; peristoma, ut in *Torculis* solet, subquadratum. — Long. 29, lat. 6 mill. *Turritellae* congelatae Adams et Reeve Moll. Voy. Samarang p. 47. T. XII f. 2 affinis, sed testa graciliore, striis incrementi subimbricatis nec non costularum numero multo majore satis diversa. — Habitat in freto Bassstrasse dicto.

7. *Eulima dentiens* Dkr.

Testa ovato-conica, crassa, alba, nitidissima, anfractibus senis vel septenis perparum convexis, ultimo dimidiam cochleolae longitudinem occupante instructa; apertura oblongo-ovata; labrum incrassatum subdilatatatum intus obsolete tridentatum. — Long. 8 mill., diam. max. 4, 5 mill.

Species brevis crassa, lactea, glaberrima et splendens, *Eulimae* obesulae A. Adams affinis, testa subdistorta et labro denticulato differt. Habitat ad insulas Vitenses.

8. *Cerithium tubulus* Dkr.

Testa parva, gracilis, pellucidula, albo-flavida, longitrorsum dense plicata lirisque transversis vel spiralibus decussata; anfractus 8—10 convexi, ultimus tertiam circiter longitudinis partem aequans; labrum tenue aequaliter arcuatum; apertura paene auriformis continua; canalis clausus tubuliformis breviusculus, perparum resupinatus. — Long. circiter 11 mill. Hab. in freto Bassstrasse dicto.

Cochleola valde singularis ob aperturae et canalis formationem, aliqua ex parte *Cerithium sulcatum* Bornii in mentem vacat.

9. *Cerithium fuscum* Dkr.

Testa parva, conico-turrita, angusta, anfractibus 10—11

convexis, transversim granoso-costatis tenuiterque striatis varicosis instructa, anfractus ultimus,  $\frac{1}{3}$  totius testae adaequans, costis graniferis circa 8 cinctus, in reliquis autem 4 numerantur; apertura ovata; labrum incrassatum sulcatum, paullulum dilatatum; rostrum brevissimum curvum; color fundi fuscus, costarum vividior. — Long. circa 11 mill., latit. max. vix  $5\frac{1}{2}$  mill. — Habitat ad insulas navigatorum.

Species nostra *Cerithium granosum Kieneri* in mentem reducit, quod vero duplo majus est et varicibus omnino caret. Anfractus superiores longitrorsum plicati sunt.

10. *Bittium scalatum Dkr.*

Testa exigua, tenuicula, anguste turrata, flavo-albida, anfractibus 10—11 subangulatis et scalatis longitrorsum crasse costatis transversimque tenuiliratis instructa, anfractus ultimus in dorso varice signatus; apex acutus. — Long. vix 5 mill., lat. paene 2 mill.

Cochleola interdum punctulis singulis fuscis aspersa, anfractibus supra suturam distincte angulatis insignis est.

11. *Volvaria fulgens Dkr.*

Testa oblongo-ovalis, subcylindrica, fulgens, pallide fulva, fasciis fuscis quinis cincta, spira brevissima obtusa, anfractibus tribus composita; apertura perlonga, angusta; columella paene recta, plicis 4 instructa; labrum incrassatum, antice subsinuatum. — Hab. Upolu.

Species parvula vix 8 mill. longa *Volvariae* (*Marginellae*) *taeniatae* Sow. affinis, sed multo minor est; praeterea spira brevissima obtusa discernitur.

12. *Volvaria pallidula Dkr.*

Testa parvula, oblongo-ovalis nitida, tenuis, albidula, paene rufescens; spira longiuscula, obtusa; apertura angusta; columella antice plicis 4 parvulis munita; labrum subincrassatum. — Long. 7 mill., lat. dimidiam circiter longitudinis partem aequat.

Statura paene praecedentis, cingulis deficientibus, spira exerta, testa anticam versus partem magis attenuata plicisque paullo minoribus differt. Hab. Upolu.

13. *Mitra (Turricula) elegantula* Dkr.

Testa parva, alba, rufomaculata, fusiformis, spira turrita, acuta, anfractus 9 nitidi, superne angulati, subscalati, longitrorsum plicati, ultimus basem versus attenuatus dimidiam testam occupans; plicae laeves, plicarum interstitia transversim sulcata et maculis plus minusve quadratis seriatim ordinatis ornata; apertura angusta; columella quadriplicata. — Long. 15 mill. — Habitat Upolu.

Species gracilis ad Turriculas Kleinii pertinens, anfractibus novenis parum convexis ad suturam scalatis costulisque distinctis laevigatis instructa est. Anfractus ultimus in costarum interstitiis macularum fuscarum tesselatarum seriebus quinis excellit. Habitu ad *M. fidiculam* Gouldii accedit.

Hab. Upolu.

14. *Purpura (Polytropa) exilis* Dkr.

Testa exilis, ovata, solidula, flavida, anfractibus 4 instructa, striis multis elevatis et costulis nonnullis majoribus succincta striisque incrementi tenuibus decussata, quasi texta; anfractus ultimus spira duplo longior costulis tribus exiguis signatus, penultimus bicarinatus, in supremis una tantummodo exstat carina; apertura ovata; columella sinuata; labrum subincrassatum, crenulatum. — Long. testae vix 7 mill., ejusdem lat. 3 mill. — Habitat Upolu.

Cochleola singularis minime pullus speciei cujusdam, sed plane perfecta et adulta, sculpturae indole Purpuram textulosam Lamarckii aliasque Polytroparum species in mentem vocat.

15. *Purpura (Sistrum) fusco-nigra* Dkr.

Testa parva, crassa, ovata, fusco-nigra, anfractibus 6—7 infra suturam paullulum cavatis, per longitudinem plicatis transversimque costatis in tota superficie squamatis instructa; anfractus ultimus spira exserta major, costis nodosis crassis quatuor cinctus; columella parum sinuata; labium ad rimam umbilicalem laminatum; fauces obscure fuscae, costis labri interni quinis crassis pallidioribus signatae. — Long. 17, diam. max. 11 mill.



Cochlea inter Purpuras et Sistra intermedia, tum ad Purpuram muricinam Blainvillei, tum ad Muricem fiscellum Chemnitzii inclinat.

Habitat ad Kingsmill Island.

16. *Tritonidea aspera* Dkr.

Testa solidula oblonge fusiformis, anfractibus 6—7 parum convexis, sutura haud profunda divisis, longitrorsum dense plicatis costulisque transversis granosis asperis instructa, albidam fusco-variegatam; peristoma ovatum; labrum incrassatum varicosum, interne obsolete sulcatum; columella antice subrugosa, postice denticulo paene oblitterato signata; rostrum brevissimum suberectum; canalis profundus et angustus. Anfractus ultimus spira paullulum brevior. —

Long. 12 mill. lat. 5 mill. Hab. Upolu.

A Tritonidea (Buccino) marmorata Reevei praesertim differt statura multo minore, sculptura asperiore, plicis longitudinalibus crassioribus, sutura haud incisa, rostro multo brevior, labro varicoso distinctius expresso.

17. *Tritonidea (Cantharus) Samoensis* Dkr.

Testa ovata, subturrita, anfractibus 7—8 convexis per longitudinem crasseplicatis transversimque costulatis, subcancellatis instructa, albidam unicolor, vel lineis fuscis interruptis cincta, epidermide pallide cornea vestita; anfractus convexi, non varicosi, sutura distincta divisi, ultimus spira paullulum longior; apertura ovata; columella sinuata, superne, id est pone, plica distincta notata; labium rugoso-plicatum; labrum interne sulcatum, costa variciformi extrinsecus incrassatum; rostrum breve subcurvum; canalis profundus late apertus. —

Long. 14 mill., latit. max. circa 7 mill.

Species nostra Tritonideae (Hindsiae, Tritonio) farinosae Gould simillima est, sed statura graciliore, costis plicisque subtilioribus differt.

Habitat ad insulas Samoenses.

18. *Amycla (Astyris) striatula* Dkr.

Testa parva, solidula, oblongo-ovata, paene pupaeformis,

sordide alba, fusco flammata et variegata, per longitudinem plicato-costata transversimque dense striata, anfractibus 8 plano-convexis, ultimo dimidiam circiter cochleolae longitudinem aequante instructa, anfractus primordiales apicem formantes attenuati; apertura ovata paullo angusta; labrum incrassatum intus sublaevigatum; canalis brevis subcurvus; lamina columellae subporrecta, interne denticulis obsoletiss ignata vel laevigata. — Long. 8, lat. 3 mill.

Species costis longitudinalibus plicaeformibus striisque transversis densis acute expressis totam testam tenentibus insignis est.

Habitat ad insulas Viti.

19. *Amycla (Astyris) tesselata* Dkr.

Testa parvula, ovato-subturrita, nitidissima, pellucida, lactea, maculis fuscis magnis quadratis tesselata, interdum unicolor alba, vel vitrea, anfractibus plano-convexis 7 tenerrime striatis instructa, linea elevata tenui infra suturam cincta; anfractus ultimus dimidiam circiter testae longitudinem tenens, supra canalem transversim tenuisulcatus; columella media sinuata; apertura ovato-rhombea; labrum subincrassatum, intus laeve; canalis brevis latiusculus. — Long. 7 mill., lat. vix 3 mill.

Species concinna maculis plus minusve quadratis excellit, in anfractu ultimo macularum fuscarum series exstant tres, in superioribus autem tantummodo una; sunt quoque varietates unicolores lacteae vel flavescentes interdum subvitreae. Testa primo intuitu prorsus laevigata apparet, sed accuratius sub vitro spectata, striis cingitur tenuissimis et sulcis supra canalem transversis. Habitu Columbellae Marquesae Gask. affinis, sed multo minor.

Habitat ad ins. Paumotu.

20. *Columbella (Nitidella) Vitensis* Dkr.

Testa parvula, solidula, oblongo-pyramidalis subfusiformis, laevigata, flavida, fascia maculis albis et fuscis subquadratis infra suturam tesselata, lineolis pallide fuscis annulatis reticulata vel marmorata; anfractus parum convexi, sutura

distincta divisi, ultimus spira paullo brevior ad basem transversim distincteque costatus, macularum serie fuscarum notatus; columella sinuata, plicis nonnullis rugosa; labrum acutum intus incrassatum, superne emarginatum, costis tribus crassiusculis munitum; peristoma ovato-subrhombeum. — Long. 6 mill., latit. vix 3 mill.

Species parvula ad *Nitidellas Swainsoni* pertinens eandem fere exhibet formam, quam *Nit. parvula* Dkr., sed minor etiam est. Ratione habita fasciae tesselatae *Columbellam* articulataam Souverbie Journ. de Coch. 1864. p. 171 F. X. f. 5. in mentem vocat, quae vero multo major est; praeterea in hac specie fascia illa articulata non infra, sed supra suturam locum tenet.

21. *Columbella (Anachis) nana* Dkr.

Testa minima, oblonga, fere biconica, spira exerta acuta, anfractibus quinque per longitudinem plicatis instructa, ultimo dimidiam testam adaequante; apertura angusta, pictura bicolor: spira alba, anfractus ultimus magnam partem fuscus. — Long. cochleolae vix 4 mill.

*Columbellae atomellae* Ducl. affinis, sed angustior, formam *Mitrarum* quarundam refert. *Citharam* variam Peasei pariter in mentem vocat, quam *Columbellis* adjunxerim.

Habitat ad insulas Vitenses.

22. *Columbella (Anachis) pusiola* Dkr.

Testa minima, magnitudine praecedentis *nanae*, oblongo-pyramidalis, subfusiformis, flavida, maculis fuscis irregularibus variegata, epidermide tenuissima pellucida vestita, anfractibus 9 parum convexis instructa, costulis transversis et longitudinalibus confertis subreticulata; anfractus embryonales laevigati, ultimus spira paullulum major basem versus sulcis fortioribus insignis; labrum incrassatum ad suturam emarginatum, interne leviter plicatum; apertura angusta. — Long. fere 6 mill.

Habitat cum praecedente.

Clarissimus H. Pease cochleolam benevole mihi misit *Citharam* *Garettii* ab eo nominatam, quae fortasse huc per-



tinet, cum vero specimina valde detrita et decolorata sint, certe de iis dijudicare nequeo.

23. *Columbella (Nitidella) plicatula* Dkr.

Testa parva, solidula, subulato-turrita, nitida, alba, fusco flammata et variegata, anfractibus 9 planiusculis sutura lineari subcanaliculata divisis, longitrorsum plicatis instructa, anfractus ultimus, dimidiam circiter longitudinem cochleolae aequans, ad basem transversim costulatus; rostrum longiusculum curvatum paullo erectum; canalis latus; apertura ovata; labrum incrassatum, externe costis tribus majoribus, interne denticulis 6—7 munitum; columella quinqueplicata, superne valde sinuata. —

Species parvula vix 10 mill. alta,  $3\frac{1}{2}$  lata ad *Nitidellas Swainsoni* pertinens, spira rostroque longis, plicis et peristomatis structura insignis est. Cum praecedente invenitur.

24. *Murex lamelliferus* Dkr.

Testa ovato-acuta, subfusiformis, albo-flavida, fasciis fuscis cincta, anfractibus senis vel septenis convexis infra suturam concavis instructa, ultimus duas partes e tribus totius cochleae adaequans, costis septenis imbricato-squamosis obtectus, spira tantum bicostata; squamae costarum magnae creberrimae erectae, ex parte resupinatae; labrum internum sulcatum, parum incrassatum; rostrum paullo recurvum; canalis apertus. — Long. circa 30 mill., latit. maxima 18 mill.

Species genuina inter *Murices* et *Fusos* quosdam quasi intermedia, tam *Muricem laceratum* Desh. (Journ. de Conch. 1856. p. 79. T. 3. f. 3. 4.) quam *Fusum lamellosum* Phil. (Enum. Moll. vol. I p. 204 T. XI f. 30.) in mentem reducit.

Habitat ad insulam Formosam.

25. *Pleurotoma (Turris) Feaseana* Dkr.

Testa turrito-subulata, anfractibus 12 carinatis, costulatis, in interstitiis minutissime obsoleteque decussatis instructa, epidermide tenui decidua obducta; anfractus ultimus, dimidiam fere testam aequans, carinis vel costis majoribus circa 20 multisque lineis elevatis interpositis cinctus; costae infra

ipsam suturam 2 prominentiores quasi geminatae; pictura pallide flava flammis longitudinalibus subfuscis praesertim in carinis variegata; canalis rectus, longus; fissura angusta profunda. — Long. 25, lat. 7 mill.

Habitat in Oceano indico.

26. *Drillia rufescens* Dkr.

Testa pyramidalis, tenuis, nitida, pellucens, rubida, anfractibus septenis rotundatis ad suturam angulatis, longitrorsum plicatis transversimque sulcatis instructa; anfractus ultimus spira paullo longior; apertura ovalis; canalis brevis latus; labrum intus sulcatum; sutura profunda.

Testa parva vix 8 mill. longa,  $3\frac{1}{2}$  circiter lata, colore excellit rubido et pellucente. Spira ob anfractus angulatos scalata apparet.

Habitat Upolu.

27. *Drillia denseplicata* Dkr.

Testa acuminato-turrita, flavida, plicis densis longitudinalibus subrectis costulisque transversis, ex parte majoribus et minoribus alternantibus sculpta, anfractibus 10 rotundatis, superne perparum angulatis, sutura profunda sejunctis instructa; spira subscalata  $\frac{3}{5}$  totius cochleae tenens; apertura ovata; labrum incrassatum intus subsulcatum, fusco tinctum; canalis brevis latus, oblique truncatus; fauces lacteae. — Long. 13, diam. max.  $4\frac{1}{2}$  mill.

Nullam novi speciem cum nostra plane convenientem. In specimine quod exstat illaeso anfractus ultimus plicis longitudinalibus 15 instructus est.

Habitat in freto Bassstrasse.

28. *Clathurella corrugata* Dkr.

Testa parvula ovato-oblonga, alba, vel punctulis fuscis vario modo adpersa, anfractibus 7 modice convexis instructa costulisque longitudinalibus et transversis concinne texta; anfractus ultimus ceteris paullo brevior; labrum incrassatum, intus denticulatum; fissura latiuscula haud profunda. — Long. 6—7 mill.

Species parvula pictura variat. Specimina exstant non solum prorsus alba, verum etiam punctis vel maculis varie picta, semper noduli, costarum et striarum decussationibus formati, tantummodo tincti sunt. Fortasse huc pertinent Clathurellae (Pleurotomae) tincta Reevei Conch. ic. f. 347, nec non albifuniculata Reevei ibid. 350.

Habitat Upolu.

29. *Clathurella concinna* Dkr.

Testa parva, ovato-oblonga, flavo-alba, lineolis fuscis cincta, costulis longitudinalibus confertis oblitteratis striisque transversis subtilibus tenerrime clathrata; anfractus 7 parum convexi; sutura distincta sed haud profunda; apertura ovata; labrum incrassatum imo varicosum, intus crenulatum; sinus mediocris. — Long. 8 mill.

Clathurellae pumilae affinis, sed statura majore, sculptura subtiliore haud granosa satis diversa.

Habitat cum specie praecedente.

30. *Clathurella picta* Dkr.

Testa ovato-oblonga, alba, maculis fuscis oblongis ex parte confluentibus picta, sculptura costulis transversis pliculas longitudinales decussantibus reticulata et granosa; anfractus 8 parum convexi, embryonales cornei et laeves, sequentes sutura profunda canaliculata sejuncti, paene scalati; apertura ovata, angusta; sinus profundus; labrum incrassatum, intus sulcatum, antice denticulo prominente signatum; canalis brevis, truncatus.

Cochleola satis 8 mill. longa Clathurellae productae Peasei similis est, sed sutura anfractuum superiorum canaliculata, sculptura paullo asperiore, forma majore et pictura ab ea specie satis differt.

Cum praecedente.

31. *Clathurella purpurascens* Dkr.

Testa minima, ovata, pallide purpurea vel subrosea, fascia lata pallidior in anfractu ultimo signata, anfractibus senis convexis sutura distincta divisis, aequaliter costulatis transversimque striatis instructa; spira conica, acuta, dimidiam

cochleolae longitudinem aequans; apertura angusta; labrum incrassatum, interne crenatum; sinus infra suturam parvulus. — Long. vix 5 mill.

Cochleola concinna Clathurellam (Defranciam) Malleti Recl. in memoriã reducit, sed differt forma minus ventricosa, costulis gracilioribus, colore diverso et fascia alba distincte terminata carente.

Cum specie praecedente invenitur.

32. *Clathurella heptagona* Dkr.

Testa minima, fusiformis, albido-flava, anfractibus septenis convexis in medio angulatis, costis pariter septenis longitudinalibus striisque transversis elevatis instructa; labrum incrassatum, interne obsolete sulcatum; sinus haud profundus. — Long. 5, lat. 2 mill.

Costis longitudinalibus septenis regulariter ordinatis testa heptagona apparet.

Cum praecedente.

33. *Clathurella turricula* Dkr.

Testa acuminato-turrita, albo fuscoque picta, anfractibus septenis valde convexis, longitrorsum costatis transversimque liratis instructa, ultimo dimidiam circiter testam tenente; apertura angusta, subrhombea; labrum incrassatum, intus crassisulcatum; canalis brevis, antice dilatatus; fissura subprofunda; columella subrecta, postice sinuata. — Long. 7 mill., latit.  $3\frac{1}{2}$ .

Cochleola nostra Pleurotomis Forbesii et turris Reevei habitu similis est.

Cum praecedente.

34. *Clathurella cincta* Dkr.

Testa parva solida, ovato-turrita, pallide flava, lineis fuscis duabus in anfractu ultimo signata; anfractus convexi 8 crassicostati transversimque lirati, ultimus dimidiam testam aequans; spira acuta; sutura profunda; apertura angusta; labrum valde incrassatum intus denticulis 4 munitum; sinus aliquantulum amplus; canalis brevis latiusculus, truncatus. — Long. 8 mill. diam. circiter 4.

Cochleola in singulis anfractibus costis crassis 9 instructa est. Anfractus ultimus fasciis duabus transversis fuscis, antica latiore, cingitur; tertia suturam tenet.

Cum praecedente invenitur.

35. *Clathurella granosa* Dkr.

Testa parvula, acuminato-ovata, solidula, anfractibus septenis parum convexis longitrorsum costatis transversimque sulcatis undique granosis instructa, grani aequales costulas seriatim regulariterque tenentes; color flavidus, granuli pallidiores, costae transversae ex parte fusco lineatae; apertura perangusta; labrum incrassatum intus denticulatum. Long. 5 mill., lat. vix  $2\frac{1}{2}$ .

Clathurellae pumilae Migh. affinis, sed habitu et sculptura satis diversa.

Cum antecedente.

36. *Clathurella fusco-lineata* Dkr.

Testa parva, ovato-acuta, solidula, anfractibus septenis tumidis sutura profunda divisis longitrorsum crassicostatis transversimque striatis instructa, ultimo spira acuta paullo brevior; color rubidus, anfractus supremi unicolores, ultimus et penultimus rufo lineati; apertura angusta; labrum crassum dentibus 4 munitum, dens anticus minimus, sequens major, tertius maximus, quartus tertio paullulum minor. Costae longitudinales in anfractu ultimo 8—9 numerantur.

Species parvula 6 mill. longa, vix 3 mill. lata, pictura concinna primo intuitu cognoscitur; in fundo rosaceo vel rubido lineis nonnullis fuscis sic enim cincta est, ut illae lineae costarum interstitia teneant.

Cum antecedente specie.

37. *Clathurella fenestrata* Dkr.

Testa parva, solidula, flava, ovato-turrita, anfractibus 8 per longitudinem costatis transversimque striatis, sutura distincta divisis instructa; anfractus ultimus spira exserta paullo brevior, apertura subrhombea; labrum incrassatum foveolatum, interne sulcatum; canalis brevis, late apertus oblique



truncatus; rostrum a fossula lata cinctum. — Long. circa 9, lat.  $3\frac{1}{2}$  mill.

Cochleola costulis striisque transversis distincte expressis cancellata quasi fenestrata apparet. Costae anfractus ultimi in specimine exstante 12 numerantur.

Hab. cum antecedente.

38. *Clathurella punctata* Dkr.

Testa minima, solidula, pyramidali-ovata, anfractibus 7 parum convexis, longitrorsum costatis transversimque striatis instructa, in striarum costarumque decussationibus granulata; color flavido-albus, granula exceptis nonnullis albis fusca; anfractus ultimus spira paullo minor; apertura angusta; labrum incrassatum, interne denticulatum; rostrum breve, truncatum. — Long. 6 mill.

Differt a *Clathurella pumila* Migh. spira acuminata, statura generatim paullo aliena et picturae indole.

Habitat cum antecedente.

39. *Clathurella solidula* Dkr.

Testa pusilla, solidula, alba, crassicostata transversimque sulcata, anfractibus 6—7 convexis sutura profunda sejunctis, ultimo spira brevior instructa; labrum incrassatum; sinus pro exiguitate testae magnus; apertura maculis tribus magnis violaceo-fuscis signata, una in labro, altera juxta sinum, tertia in fine columellae. — Long. vix 5 mill.

Species *Clathurella pusilla* paullo major, multo robustior, plicis crassis longitudinalibus (in anfractu ultimo septenis) et sutura valde constricta nodosa apparet. Cum *Borsonia crassicostata* Peasei nescio an sit jungenda haec cochleola.

Habitat Upolu.

40. *Clathurella pusilla* Dkr.

Testa pusilla, oblongo-ovata, subfusiformis, anfractibus 8—9 convexis longitrorsum costato-plicatis transversimque striatis instructa; costae crassae in anfractu ultimo, dimidiam cochleolae partem aequante, 7—8 numerantur; color flavidus, costarum interstitia lineis obscurioribus signata; apertura

angusta; labrum incrassatum interne denticulatum; fissura vel sinus profundus, latiusculus. — Long. tantum 4 mill.

Testa minima, pictura simplici pallide badia lineisque fuscis signata est. — Ad *Borsonias Peasei* pertinet.

Habitat ad insulas Vitenses.

41. *Daphnella Philippiana* Dkr.

Testa oblongo-subulata, solidula, albida, colore pallide fusco strigata et variegata, anfractibus convexis 8 sutura profunda sejunctis, costulis transversis et longitudinalibus undique dense reticulata; apertura oblonga subdilata; labrum paullo incrassatum, leviter crenatum, postice ad ipsam suturam sinu satis amplo emarginatum; canalis brevis, latus. Anfractus ultimus dimidiam testam aequat. — Long. 12, diam.  $3\frac{1}{2}$  mill. —

Inter omnes quas novimus *Daphnellas* haec angustissima est species.

Habitat ad Upolu.

42. *Cithara Hanleyi* Dkr.

Testa crassa, ovata, subfusiformis, coeruleo-cinerascens, lineis fuscis duabus in anfractu ultimo cincta, costis crassiusculis longitudinalibus laevibus striisque subtilissimis transversis in costarum interstitiis sub vitro tantum clarius conspicuis instructa; anfractus 7 modice convexi, embryonales minimi fusci; spira conoidea tertiam totius cochleolae partem aequans; apertura angusta; labrum internum obsolete crenatum, externum incrassatum, planiusculum; columella rugosa; rostrum oblique truncatum fuscum. — Long. 9, lat. 5 mill.

Species elegans cum *Mangilia cithara Gouldii* comparari potest, quae vero inprimis spira multo productiore differt; praeterea costae in illa specie ultra suturam prominent, quo fit, ut spira ejus subscalata appareat.

Habitat cum specie quae antecedit.

43. *Mangilia crassicostata* Dkr.

Testa oblongo-ovata, solidula, anfractibus 7 convexis, sutura profunda sejunctis, fortiter costatis transversimque ob-

solete striatis instructa; pallide flava, fasciis fuscis latis interruptis cincta; apertura angusta; labrum incrassatum planum.

Species parvula vix 6 mill. longa; anfractus convexi fortiter costati, in ultimo costae sex distantes, in superioribus, quae scalati apparent, costae arctiores et subobliquae sunt. Anfractus ultimus fasciis duabus latis atque interruptis notatus est. Species inter omnes, quae huc usque innotuere, quantum scio, pro exiguitate testae costis crassissimis instructa est. Speciminibus Mangiliae Vauquelini parvis quae magnitudine maximopere variat, haud dissimilis.

Habitat ad insulas Vitenses.

#### 44. *Mangilia costulata* Dkr.

Testa parvula, angusta, subfusiformis, pallide fusca, anfractibus senis convexis in medio subangulatis sutura distincta sejunctis plicas longitudinales costulasque transversas gerentibus instructa; anfractus ultimus spira paullo longior; labrum incrassatum, interne subsulcatum; columella laevis. — Long. 5 tantummodo mill., lat. circiter 2 mill.

Testa unicolor griseo-fusca habitum Mangiliae costatae Penn. Maris germanici referens, insignis est costulis transversis et plicas transcurrentes.

Habitat Upolu.

#### 45. *Ranella elegantula* Dkr.

Testa parvula, fusiformis, alba, diaphana, tenuis, anfractibus octonis rotundatis concinne reticulatis, ultimo spira paullo longiore varicibusque prominentibus varicosis instructa; spira exserta; apertura ovata; lamina columellae sinuatae late expansa; labrum internum obsoletissime striatum; rostrum recurvum; canalis apertus. — Long. 10 mill., lat. 4 mill. —

Species parvula varicibus utrinque seriatim ordinatis profunde incisus Ranellarum formam omnino exhibet. Sculptura elegantissima reticulata sub vitro tantum clarius observari potest sicut et variecum costulae et crenae. Tritonium Broderipii convolutum in memoriam reducit.

Hab. Upolu.



46. *Tritonium granulatum* Dkr.

Testa turrito-oblonga, subfusiformis, tenuicula, varicibus 8—9 totidemque anfractibus convexis infra suturam paullo cavatis instructa, costulis transversis confertis inaequalibus noduliferis cincta, anfractus ultimus spira exserta subscalata perparum longior, nodulorum majorum serie superiorem partem tenente insignis; color flavo-albidus, noduli majores pallide fusci; epidermis cornea parum lamellosa; columella inferne subrugosa, superne denticulo albo munita; labrum acutum punctis fuscis notatum, intus incrassatum, leviter sulcatum; apertura oblonga; rostrum breviusculum paullo curvum; canalis profundus. — Alt. 35, diam. max. 15 mill.

Species eximia ad *Simpula Kleinii* pertinens, spira exserta et sculptura concinna excellit. Forma ejus fere pullos *Tritonii Tritonis* L. adumbrat.

Habitat in freto Basstrasse dicto.

47. *Tritonium fraterculus* Dkr.

Testa parva, ovato-conica, tenuicula, alba, epidermide pallide cornea tenui et laevi vestita; anfractus 5—6 convexi, varicosi, infra suturam subcavati, transversim denseque costulati, granulis obsoletis aspersi et unica nodulorum serie cincti; spira conica, tertiam cochleolae partem tenens; apertura ovata; labrum incrassatum crenulatum, punctulis nonnullis fuscis signatum, intus sulcatum; columella arcuata, superne i. e. in postica parte denticulo munita, antice rugosa; canalis brevis apertus et profundus, paullo resupinatus. — Long. 24, lat. 13 mill.

Habitu cochleola nostra pullis *Tritonii australis* Chemn. primo intuitu similis est, sed tota ejus indoles ab ea specie valde discedit. *Tritonio* autem granulato Dkr. affinis est si tantummodo respicis eius sculpturam.

Habitat in freto Basstrasse.

48. *Epidromus papillatus* Dkr.

Testa minima subulato-turrita, alba, anfractibus septenis rotundatis sutura profunda, subcanaliculata sejunctis,

longitrorsum dense plicatis transversimque striatis et varicosis instructa, ultimo reliquis paullo brevior; apertura ovata; lamina columellae valde expansa, canalis brevis recurvus. — Long. vix 8 mill., lat. 3 mill.

Haec species parvula insignis est sutura subcanaliculata papillosa, costae enim longitudinales acutae ex parte rugosae et subdichotomae ad suturam papillis quasi terminantur, costis anfractuum quae antecedunt, inhaerentibus.

Habitat ad insulas Vitenses.

49. *Nerita Hilleana* Dkr.

Testa ovato-semiglobosa, transversim regulariter denseque costata, striis incrementi imbricatis et undulatis obducta, spira valde obtusa, perparum prominens; columella media sinuata plerumque indistincte quadridentata, septum paullo concavum, superne callosum, laevissimum; labrum crenatum, interne incrassatum et laeve; costae nigerrimae passim albo tesselatae, interstitia vel sulci cinereo-virescentes et pellucentes, color columellae, septi et labri pallide sulphureus. Latit. vel diam. transv. speciminum majorum 16 mill., alt. 11 mill.

Species nostra *Neritae Birmanicae* Phil. affinis, sed minor, costulis aequalibus crassioribus confertis nec albo-punctatis, lineis elevatis haud interpositis, interstitiis angustioribus differt.

Habitat ad insulas Samoenses.

50. *Nerita Samoensis* Dkr.

Testa parva, ovata, subglobosa, alba, fusco cinereoque maculata et variegata, vel unicolor atra, vel punctulis albis hinc illic adpersa, anfractibus transversim costatis et striatis instructa; costae striaeque incrementi undulatae; spira exsertiuscula, apex saepius erodus; apertura latiuscula, interne sulcata; septum perparum cavatum et corrugatum in margine obsolete denticulatum, macula magna fusca notatum; operculum rugoso-granosum. Lat. et alt. 9—10 mill. —

Forma, sculptura et macula in septo vel columella *Ne-*



ritam signatam Macl. in mentem vocant, singulis partibus prorsus analogam, sed triplo fere majorem.

Habitat ad insulas Samoenses.

51. *Phasianella Graeffei* Dkr.

Testa parva, ovato-conica, subturrita, solidiuscula, glabra, pallide rufescens, cingulis subtilibus minutissime rubro articulatis et seriebus nonnullis punctorum majorum alborum late distantium cincta, infra suturam albo rufoque marmorata, anfractibus senis valde convexis, ultimo spira paullo brevior, instructa; apex obtusiusculus lividus; apertura ut in genere solet, ovato-rotunda; columella alba parum incrassata. — Alt. 10, diam. max. vix 6 mill.

Inter species Phasianellarum multarum minores simili habitu et pictura nullam vidimus anfractibus tam tumidis quam in nostra.

Insulae Samoenses.

52. *Trochus tenuiliratus* Dkr.

Testa orbiculato-convexa, depresso-conoidea, perforata, tenuissima, nitida, pellucida, colore albido, pallide cinereo et rufescente maculata et variegata, anfractibus senis convexis modice accrescentibus, ultimo subangulato instructa; basis convexa; umbilicus angustus pervius, costa spirali alba, a lamina parva concava terminata, insignis; apertura subrotunda; labrum acutum; labium paullo incrassatum, cum lamina illa umbilici conjunctum. — Alt. 6, latit. max. 10 mill.

Species concinna tenera et genuina lineis spiralibus impressis confertis striisque incrementi tenuissimis sub vitro clarius tantum perspicuis, pictura delicata et molli nebulosa, ex parte undulata et pennata nec non costa spirali a lamina parva cavata terminata excellit. Forma speciei nostrae Trocho vitiligineo Menkei Moll. Nov. Holl. pag. 18. aliqua ex parte respondet, qui vero costa umbilicali tam insigni omnino caret.

Ad insulas Samoenses invenitur.

53. *Clanculus rubicundus* Dkr.

Testa globosa-conica, anguste umbilicata, rubicunda, anfractibus rotundatis, sutura canaliculata sejunctis instructa

costulisque eleganter granulatis cincta; umbilicus margine lacteo crenato circumdatus; columella crassa torta, superius incisa, inferius in dentem crassum transiens; labrum incrassatum intus sulcatum splendideque margaritaceum. — Alt. 6 mill., diam. max. ejusdem fere dimensionis.

Species pulcherrima Trocho corallino Gmelini affinis, sed multo gracilior, costulis elevatis denseque crenatis neque nodiferis, interstitiis canaliculatis facile distinguenda. Costulae illae in anfractu penultimo numerantur 4, in ultimo vero basi inclusa 12 usque ad 14. Pictura unicolor rubicunda vel coccinea, in umbilici regione albo variegata.

Habitat ad insulas Vitenses.

54. *Ziziphinus venustus* Dkr.

Testa elato-conica, imperforata, prasina, lineis undulatis et flexuosis flammisque longitudinalibus albis picta, anfractibus 10 paene planis concinne denseque tenuiliratis, perparum emarginatis, ultimo subangulato, instructa; basis liris 8—10 exarata; apertura subquadrata; columella plica vel denticulo terminata; labrum acutum, intus laeve; fauces coeruleo-margaritaceae. — Alt. 10, diam. 7 mill.

Testa tam Trocho striato Linnaei, quam T. goniostomo Menkei statura similis est, sed picturae indole, sculptura et anfractu ultimo vix angulato ab utraque specie distingui potest.

Habitat cum specie praecedente.

55. *Ziziphinus multigranus* Dkr.

Testa turrito-conica, anguste umbilicata, lutea, anfractibus 8 planiusculis instructa costulisque totidem imparibus granuliferis cincta; cingula suturae elevata subundulata, spiraliter striata pallideque tessellata; basis convexiuscula, costulis circa 16 alternatim majoribus et subtilioribus subgranosis oblecta; umbilicus angustus a lamina alba circumvallata; columella obliqua a denticulo margaritaceo terminata; apertura subtetragona. — Alt. 12. mill., diam. max. 10 mill.

Species nostra Trocho gilvo Phil. affinis atque eadem fere statura. —

St. Vincent Novae Hollandiae.

56. *Ziziphinus subgranularis* Dkr.

Testa late conica, in apice peracuta, profunde umbilicata, albida luteoque aspersa et variegata; anfractus 10 plani infra suturam paullo prominuli ideoque perparum scalati, costis imparibus 9—10 subgraniferis cincti; basis parum convexa, spiraliter costata, costae subplanae; umbilicus profundus infundibuliformis, costis duabus perspicue crenulatis obvallatus; apertura subquadrata. — Alt. 20 mill., diam. max. 21 mill.

Habitus Ziz. conulum Linnaei repraesentat nostra cochlea, sculptura Z. armillatum Woodii in mentem vocat, utraque vero species umbilico prorsus caret.

Habitat in freto Bassstrasse dicto Novae Hollandiae.

57. *Monilea Philippiana* Dkr.

Testa parva, solidula, conoidea, umbilicata, anfractibus quinis et dimidio plano-convexis, ultimo et penultimo subangulatis instructa, costulis spiralibus crenuliferis striisque tenuissimis in interstitiis costarum, sub vitro tantum cognoscendis cincta, anfractus ultimus costis tribus majoribus medianis paene biangulatus; basis convexa, costis pariter minutim crenatis circa 10 ornata; umbilicus pervius a margine crenato terminatus, interne costula spirali instructus; apertura subrotunda; color undique pallide griseus, margo umbilici albus, costulae, praesertim majores, nigro articulatae et punctatae. — Diam. max. tantum 6 mill., alt. circa 4.

Species concinna Trocho Preissiano Novae Holl. Phil. in Zeitschr. f. Mal. 1848 p. 123. Conch. Cab. ed. II. p. 177. T. 28. f. 3. affinis, praesertim respectu habito costarum et picturae, qui vero multo major est granulisque omnino caret.

Habitat in archipelago Samoensi.

58. *Solen subcurvus* Dkr.

Testa a Solene brevi Gray cui simillima est, dorso pa-

rum curvato, basi subsinuata valvisque postice paullo attenuatis differt. Habitat Rockhampton.

59. *Mactra (Trigonella) radiata* Dkr.

Testa parva, ovato-trigona, subaequilatera, nitidissima, albido-fulvescens, radiis fulvis picta; apices parvuli, violacei, submediani, lunula areaque obtuse carinatae eleganterque sulcatae; dentes laterales longiusculi, lamellares laeves; pagina conchae interna laevis nitidissima pallide violacea vel radiis subviolaceis signata. In parte posteriore pictura viridior esse solet. — Long. 20 mill. Long. alt. et crass. ratio numeris 100, 80, 50 respondet.

Mactrae pullae Phil. guineensi (Abb. III. p. 137. T. III. fig. 4) nostra species simillima est, sed valvulis solidioribus minus convexis, apicibus magis productis ideoque forma magis triangula nec non angulo sub umbonibus latus posticum versus decurrente distinctius expresso satis differt.

Habitat ad insulam Chinensem Taiwan vel Formosa dictam.

60. *Mactra (Trigonella) laevis* Dkr.

Testa subelliptica, aequilatera, tenuicula, compressa, albida, interne fuscescens concentrice tenerrimeque striata, paene glabra, nitidissima, in cardinis margine utrinque sulcata, epidermide tenuissima subcornea vel straminea induta; umbones mediani, subacuti, macula fusca signati; lunula areaque angustae. — Long. 30 mill. Long. alt. crass. = 100: 78: 60.

Mactrae (Trigonellae) stultorum Linnaei cognata, sed minor et satis diversa. Patria Mosselbay.

61. *Tellina clara* Dkr.

Testa ovata, inaequilatera, tenuissima, lactea, pellucida, antice producta linea paene elliptica terminata, postice attenuata brevis, convexiuscula striis concentricis nec non radiantibus, tenerrimis, sub vitro tantum clarius conspicuis instructa; umbones prominentes inflati; dentes cardinis mediani et laterales minimi; ligamentum parvulum; sinus pallii maximus ob splendorem valvarum internum vix cognoscendus. — Long. 17 mill. Long. alt. crass. ratio haec est: 100, 80, 40.

Tellinarum minarum huiusque notarum certe elegantis-



sima, nitore sericeo et splendore opali instar ornata; striae minutissimae concentricae a lineis radiantibus decussatae superficiem reticulatam reddunt, quae vero structura sub vitro tantum clarius perspicui potest.

Hab. ad Picadoram insulam.

62. *Cytherea (Callista) Semperi Dkr.*

Testa ovato-trigona, convexiuscula, valde inaequilatera, antice rotundata brevis, postice producta, plicis nonnullis concentricis obsoletis sulcisque densis in margine dorsi postico instructa, praeterea glabrata et laevigata, griseo-rubens colore obscuriore vario modo picta, plerumque quadriradiata; umbones tumidiusculi approximati, circa  $\frac{2}{5}$  longitudinis valvarum tenentes; margo dorsi posticus paullulum convexus, margo ventris aequaliter curvatus; lunula lanceolata indistincte terminata; area cavata lanceolato-cordata; ligamentum subimmersum; testa interna albido lutea, sinus pallii linguaeformis latus; dentes cardinis medii parvuli, laterales longi compressi lamelliformes. — Long. 21 mill. Long. altit. crass. his circiter numeris respondent 100, 75, 50.

Species concinna ad *C. floridellam* Gray proxime accedens, praesertim valvulis multo convexioribus, apicibus tumidis, antrorsum magis inclinatis et postica extremitate minus attenuata neque compressa facile distinguitur.

Habitat in portu Mackay.

63. *Cardita (Actinobolus) Godeffroyi Dkr.*

Testa orbiculato-ovata, convexiuscula alba rufoque variegata et tessellata, costis 18 rotundatis subgranosis transversisque striatis, interstitiis paullo angustioribus instructa, epidermide tenui cornea obducta; lunula impressa anguste cordiformis; ligamentum angustum paullo immersum; color internus albus. — Long. 15 mill. Long. alt. crass. = 100, 80, 52.

Concha nostra pullis *Carditae sulcatae* Brug. quae in Mediterraneo frequentissima obvenit, primo intuitu haud dissimilis est, sed umbonibus festaque minime tumidis, costarum interstitiis paullo latioribus aliisque notis facile distinguitur.



64. *Crenella (Modiolaria) Adolphi* Dkr.

Testa subreniformis, tumida, in dorso curvata, in margine inferiore subsinuata, antice brevissima, postice producta, albida striis concentricis tenerrimis costulisque antice circa 14, postice 30—34 instructa, epidermide pallide cornea nitidissima induta; umbones tumidi, curvi, valde proni, supra marginem prominentes. — Long. 13 mill. Long. alt. crass. his circiter numeris respondent: 100, 50, 48.

Species Modiolae marmoratae Forbesii affinis, sed reniformis, postice magis producta costulisque crassioribus instructa est.

Habitat in sinu St. Vincent Australiae.

65. *Modiola semivestita* Dkr.

Testa oblonga, striis incrementi tenerrimis antice et postice magis expressis instructa, epidermide fusca nitidissima obducta, tegumine lanuginoso postice vestita; umbones obtusi, parvuli. — Long. 15 mill. Long. alt. crass. = 100, 54, 40.

Modiolae vestitae Phil. cognata, sed multo minor, gracilior, haud inflata. Superficies paene laevigata, extremitas antica ultra umbones paullo prominat.

Habitat in sinu St. Vincent Australiae.

66. *Pecten rubellus* Dkr.

Testa ovata, compressa, paullulum obliqua, radiatim multicosata, costae ex parte dichotomae, parum inaequales, scabrosae, antice et postice squamulis densis erectis instructae, valva dextrorsa sinistra paullo convexior; auriculae valde inaequales, posticae minimae, anticae valvae dextrae ad basem profunde emarginatae; color utriusque valvae rubellus vel rubicundus, albido variegatus.

Testa generatim Pectini pusioni L., maris germanici et mediterranei incolae, simillima, valvulis latioribus, magis inaequalibus, multo minus convexis praesertim differt. Patria Rockhampton.

67. *Pectunculus tumidus* Dkr.

Testa crassa, tumida, rotundato-subcordata, antice paene

circularis, postice paullo producta, directe subtruncata, obsolete plicata, minutissime reticulata, obscure fusca, postice maculis albis triangulis angulatis et undatis variegata; umbones tumidi valde producti, incurvi, area ligamenti angusta et parva; lamina cardinis crassa et lata, denticulis flexuosis instructa; color internus albus, postice castaneus. — Long. 34 mill., altit. ejusdem mensurae, crass. 24 mill.

Hanc speciem subcordatam, tumidam, nullibi descriptam aut depictam invenimus. Respectu habito sculpturae Arcae decussatae Linnaei, quae est *Pectunculus pennaceus* Lamarckii, satis respondet, sed habitu et extremis lineis valde differt.

68. *Pectunculus perobliquus* Dkr.

Testa ovata, perobliqua ideoque valde inaequilatera, compressa, tenuicula, grisea, ad umbones strigis sparsis pallide fuscis variegata, striis concentricis obsolete sulcisque incrementi ex parte imbricatis instructa, epidermide tenui sublamellosa vestita; umbones parvuli subacuti, approximati; area ligamenti angusta; latus internum albidum, opacum, obsolete radiatumque striatum; cardinis lamina angusta denticibus obliquis 18—20 munita; margo conchae internus cretatus. — Long. 53 mill. Long. altit. et crass. ratio haec est: 100, 84, 48.

Species singularis forma sua compressa oblique ovata excellit; color languidus, griseus paullo fuscescens; sulci concentrici, incrementi stadia vel intervalla indicantes, marginem versus confertiores et undulati fiunt, lineae radiantes strias concentricas decussantes testam umbones versus subreticulatam reddunt. *Pectunculo* ovato Broderipii affinis est, cui vero valvae convexae tribuuntur ne dicam de aliis differentiis. Inter species telluris tertiariae nullam novimus cum nostra in extremis lineis convenientem.

Patria Picadora.

69. *Plicatula echinata* Dkr.

Testa parvula, depressa, ovato-subtrigona, in cardinis margine brevi truncata, lateribus subrectis, basi rotundata, costulis 16—18 echinato-imbricatis passim dichotomis ar-

mata; apices parvuli subacuti; color pallide fuscus. Cardinis structura generi prorsus respondens nil singularis offert. Alt. 15, lat. 12 mill. —

Forma conchulae nostrae mirabilis Plicatulam spinosam Sow. formationis lias dictae in mentem vocat.

Habitat in mare Chinensi.

### Literatur.

Carl Agardh Westerlund, Exposé critique des Mollusques de terre et d'eau douce de la Suède et de la Norvège. — Upsala 1871. — Separatabdruck aus Nova Acta reg. societ. scient. Upsal. Ser. III. vol. 8.

Der Verfasser, den Lesern der Mal. Bl. bekannt durch mehrere gründliche Aufsätze über die Fauna seiner Heimath und durch die Unterscheidung mehrerer neuer Arten, ist schon seit längerer Zeit mit einer gründlichen Bearbeitung der Fauna der drei scandinavischen Reiche beschäftigt; da die Vollendung derselben wahrscheinlich noch längere Zeit dauern wird, hat derselbe es vorgezogen, unter obigem Titel einstweilen eine vorläufige Arbeit über die Mollusken von Schweden und Norwegen zu publiciren, in der besonders die Punkte, in welchen er von den gewöhnlichen Ansichten abweicht, besprochen und begründet werden. Dass wir es hier mit einer ungewöhnlich gründlichen Arbeit zu thun haben, beweist schon die Einleitung. W. begnügt sich nicht damit, Varietäten im Allgemeinen aufzustellen, sondern unterscheidet fünf verschiedene Abweichungen vom Typus, die im Texte besonders behandelt werden: 1. Varietäten im engeren Sinne, *Variationes*, wo der Gesammthabitus des Typus bleibt, aber irgend ein wesentliches Kennzeichen modificirt ist; — 2. *Modificationen*, *Aberrationes*, mit ganz abweichendem Habitus, entstanden durch die Einwirkung von Verhältnissen, welche von den gewöhnlichen abweichen, aber durch Ueber-

# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Malakozologische Blätter](#)

Jahr/Year: 1871

Band/Volume: [18](#)

Autor(en)/Author(s): Dunker Wilhelm (Guilielmus) Bernhard

Artikel/Article: [Mollusca nova Musei Godeffroy Hamburgensis 150-175](#)